



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXVII. De literis non impetrandis vltra duas diaetas, & sine speciali
mandato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

X X X V I.

ASSE
CREDID
1107

Cum cessante causa cesseret effectus, statuimus ut siue iudex ordinarius, siue delegatus, aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium grauaretur, & sano usus consilio ab huiusmodi comminationis vel interlocutionis effectu destiterit, libere in causæ cognitione procedat, non obstante, si a tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum, dummodo non sit ex alia legitima causa suspectus, ne processus negotii friuolis occasionibus retardetur.

X X X V I I.

Nonnulli gratia sedis apostolicæ abutentes literas eius ad remotos iudices impetrare nituntur, vt reus fatigatus laboribus & expensis liti cedere vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cum autem per iudicium iniuriis aditus patere non debeat, quas iuris obseruantia interdicit, statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam dicēcesim per literas apostolicas ad iudicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratae, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

Sunt & alii qui se ad nouum genus mercionii conuertentes, vt vel sopitas possint suscitare querelas, aut nouas immittere quæstiones, fingunt causas, super quibus a sede apostolica literas impetrant absque dominorum mandato, quas vel reo, ne propter eas laborum vel expensarum dispendio molestatetur, aut actori, vt per ipsas aduer-

ANNO
CHRISTI
1215.
uersarium indebita vexatione fatiget , venales ex-
ponunt. Cum autem lites restringendæ sint potius quam laxandæ, hac generali constitutione san-
cimus , vt si quis super aliqua quæstione de cete-
ro sine mandato speciali domini literas apostoli-
cas impetrare præsumperit , & literæ illæ non va-
leant , & ipse tamquam falsarius puniatur , nisi for-
te de illis personis extiterit, a quibus non debet exi-
gi de iure mandatum.

XXXVIII.

Quoniam contra falsam assertionem iniqui iu-
dicis innocens litigator quandoque non potest
veram negationem probare , cum negantis fa-
ctum per rerum naturam nulla sit directa proba-
tio , ne falsitas veritati præiudicet , aut iniquitas
præualeat æquitati , statuimus vt tam in ordi-
nario iudicio quam extraordinario iudex sem-
per adhibeat aut publicam (si potest habere) per-
sonam , aut duos viros idoneos , qui fideliter vni-
uersa iudicij acta conscribant , videlicet citationes ,
dilationes , recusationes & exceptiones , petitio-
nes & responsiones , interrogations , confessiones ,
testium depositiones , instrumentorum produc-
tiones , interlocutiones , appellations , renuntiatio-
nes , conclusiones , & cetera quæ occurrunt com-
petenti ordine conscribenda , designando loca ,
tempora & personas : & omnia sic conscripta par-
tibus tribuantur , ita quod originalia penes scripto-
res remaneant : vt , si super processu iudicis fuerit
suborta contentio , per hæc possit veritas declarari .
Hoc adhibito moderamine , quatenus sic honestis

Concil. Tom. 28.

B b